



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Manuale Sodalitatis B. Mariae Virginis. siue Exercitium Spirituale Christianae Pietatis

Véron, François

Coloniae Agrippinae, 1505 [i. e. 1605]

8. De priuatis sodalium congregibus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-46577](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-46577)

Postremò, vt alia omittamus, exhortationis alicuius piæ, & ad institutum, fructumque Sodalium accommodæ beneficio perfruuntur Sodales: Publici precibus, quæ pro viuis, & defunctis offeruntur Deo, matrique gloriôsæ, interfunt, seque dignos efficiunt, qui vicissim, quando postulabit necessitas, commendentur & aliorum adminicula experiantur. Ex quibus omnibus luce clariùs apparet, quantum virtutis, pietatis, bonorum exemplorum, meritum, subsidiorum, patrocinij virginei, ac cæterarum salutem promouètiun rerum iacturam faciant, & quàm se indignos Sodalitate constituent, qui facile ab eiusmodi cœtibus absunt, & minima seculari occasione, Congregationes negligunt.

PARS OCTAVA.

De priuatis sodalium inter se congressibus.

Sicut prauorum societate nihil periculosius, quòd facilè sit malorum exemplis verbisque, & consuetudine impelli in malum; ita bonorum sodalium priuatis cōgressibus, ac societate nihil melius: nihil enim perinde ad virtutē excitat, quàm

ante oculos sunt exempla probitatis. Vt autem hæc bonorum Sodalium consuetudo, & familiaritas periculis vacet, sancta sit, & spiritualis curandum est. Talis erit, si Dei, & salutis potissimum causa suscipiatur.

Officia sanctæ amicitie.

Huius autem amicitie, priuatorumque inter sodales congressuum officia sunt tria potissimè. 1. Vt sese mutuò excitent, & inflamment ad cultū Dei, & beatissimæ virginis. 2. Vt se inuicem liberè moneant, si quando aliquis à boni Sodalis officio alienum quippiam faceret aut diceret. 3. Vt inter se de bonis, & salutaribus rebus colloquantur; qua quidem re nihil Deo, parentique eius gratius; nihil ad virtutem accommodatius.

Materia bonorum colloquiorum.

Materia autem horum colloquiorum esse potest. Qua ratione virtus talis, aut tale vitium declinandum; quo modo augeri possit in Sodalitate, & in se, ac aliis B. Virginis cultus; quo pacto tales vel flagitiosi, vel parum pii adolescentes iuuari, ad bonumque pellici possint; Quæ virtutes in quibusdam sanctioribus adolescentibus eximie eluceant; quæ impios & pericula, & mala maneant, quæ bonos gloriæ spes, bonaque expectent, &c. Augebunt, & oblectabunt priuatam eam consuetudinem exemplorum piorum narratio; eorum quæ

audie-

audierint vel legerint commemoratio; de studiis quoque, & scientiis humanioribus collocutio; omnis denique sermo ex se bonus, ac ad maius bonum promouens.

PARS NONA.

De piorum librorum lectione diebus praesertim festis, dominicisq; usurpanda.

Librorum sacrorum, piorumque lectio Dominicis praesertim, festisque diebus usurpanda est. Si enim externis occupationibus, ac negotiis, chartisque vel forensibus, vel domesticis, aut studiis prophanis integras hebdomadas damus, merito, dies festos Deo, & saluti animae nostrae dicatos, piis studiis, auditioni verbi DEI, & sacrae lectioni tribuere debemus. Nolumus hoc loco ingentes utilitates, quae cuiusmodi sacrorum librorum lectionem consequuntur exponere; satis enim multi multa hac de re scripserunt, & quotidiana ipsa experientia plus satis id confirmat. Danda autem in primis est opera, ut non multa simul legantur, aut obiter percurrantur. 2. Ut quae lecta fuerint & notata, ad nos ipsos accommodemus, & ad salutem nostram referamus. 3. Vna dispiciendum

quae obseruanda sint in piorum librorum lectione.

L s dum